DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

CYNANCHE MALIGNA.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

CYNANCHE MALIGNA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU; ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

CAROLUS MURPHY,

HIBERNUS.

Prid. Id. Septembris, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

M DCCC V.

VIRO CELEBERRIMO,

JOANNI GULIELMO BOYTON,

MEDICINÆ THEORETICÆ,

IN COLLEGIO *DUBLINIENSI*

PROFESSORI:

OMNIBUS,

QUÆ MEDICUM PHILOSOPHUMQUE FACIUNT,

IMPRIMIS ORNATO,

OB AMICITIAM

MULTAQUE BENEFICIA IN SE COLLATA;

HOC TENTAMEN,

SUMMA OBSERVANTIA,

OFFERT

AUCTOR.

NECNON,

VIRO REVERENDO

DANIELI MURPHY,

FRATRI SUO CARISSIMO,

APUD *YOUGHAL*

IN

COMITATU *CORCAGIENSI*;

HOCCE OPUSCULUM,

STUDIORUM PRIMITIAS,

AMICITIÆ FRATERNIQUE AMORIS

TESTIMONIUM PEREXIGUUM,

EA, QUA DECET, OBSERVANTIA,

D. D. C. QUE

AUCTOR.

For Dr Ogilvie with best
Respects from the Author

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

CYNANCHE MALIGNA.

INTER omnes qui generi humano exitio sunt morbos, nullus ferè extat, qui necessitatem rectè distinguendi, inter affectus similes demonstrat, nullus major hoc, de quo nunc animus est disserere.

ARETÆUS, et scriptores quidam Italici, se vidisse morbos tonsillis ulceratis et faucium

inflammatione stipatos, nos certiores facent; vix tamen, aliquid de eâ observatu dignum, scriptis accuratè tradiderunt. Maximas meretur laudes, ob accuratissimam hujus morbi descriptionem, FOTHERGILLIUS; et post hunc, HUXHAMUS historiam et phænomena ejus in lucem protulit.

In Nosologiâ celeberrimo CULLENO editâ, *Cynanchen malignam* in Classe *PYREXIARUM* et *PHLEGMASIARUM* Ordine invenimus; cujus definitio magis quàm aliorum nosologicorum nobis arridet:

"Cynanche (maligna), tonsillas et mem-
"branam faucium mucosam afficiens tumore,
"rubore, et crustis mucosis coloris albescentis
"vel cineritii, serpentibus, et ulcera tegentibus,
"cum febre typhode et exanthematis *."

Inter auctores, diu disceptatum fuit, et adhuc a quibusdam dubitatur, num hic morbus

* Synops. Nosolog. Method. gen. x. spec. 2.

ejusdem naturæ sit, et originem ejus ducat, ac *Scarlatina anginosa*. Nosologus ille illustris, de quo mentionem anteà feci, et FOTHERGILLIUS, affirmant, naturâ, origine et symptomatibus ejus, plurimùm et magnoperè discrepare: dum alii, et sanè, illi, primi ordinis, quibus maximæ laudes debitæ sunt, existimant, ejusdem morbi modificationes esse, et eâdem contagione exortas. Hoc in loco, liceat observationes nostri celeberrimi præceptoris proferre *: "Morbi ambo ex contagione oriuntur: Phænomena parùm differunt, quippè cynanche eruptione rubrâ, scarlatinam mentiente, comitata, et scarlatina faucium affectu cynanche simili conjungitur. Pulsus in utroque, ineunte febre, fortis et durus; progrediente, parvus, debilis: In eadem constitutione epidemicâ, nonnulli febre corripiuntur, scarlatinæ magis affini; in aliis, morbus a cynanche vix discrepat; et porrò in eadem familiâ, quando uno affecto, reliqui tandem contagio-

* Audi GREGOR. Prælect. de Med. Pract. in Acad. Edin.

nem recipiunt, observatum est, alios cynanche lethali, alios scarlatinæ mitissimæ, subjectos esse.

DE HISTORIA.

Sese monstrat, consuetis pyrexiæ signis; dein vertigine, acuto capitis dolore, caloris sensu, molestâ in gutture sensatione, potiùs quàm dolore; immobilitate cervicis, plerumque lassitudine, nauseâ, vomitu, et diarrhœâ; et paulò pòst, tumida et rubore suffusa videtur facies; oculis inflammatis et aquosis, ut in rubeola contingit; inquietudine, anxietate, et languore. Respiratio parùm difficilis est, et interdum cum tussi parùm impedita. Hic morbus plerumque mane ægrum arripit: nocte adventante, symptomata ingravescunt; inquietus fit æger, et de magno calore et siti

conqueritur. Brevi verò post morbi accessionem, ore et faucibus inspectis, uvula, tonsillæ, velum pendulum palati, partesquæ vicinæ, quantùm conspici possunt, colore florido apparent. In nonnullis exemplis, tumor et rubor faucium minùs conspicui sunt; dum in aliis, inflammatio adeò aspera est, ut respirationi et deglutitioni plurimùm obstet. Lingua præter solitum rubra est, mediâ ejus parte exceptâ, quæ plerumque alba vel fusca est.

Secundo vel tertio die, et aliquando seriùs, facies, collum, pectus, et manus ad digitos extremos usque, calorem admodum erysipelatosum induunt, planèque tumescunt. Fauces suum proprium colorem conservant, tonsillis et velo pendulo palati exceptis; ubi maculæ cinerei coloris observantur: quæ, primo aspectu, externam formam induunt tumoris ulcerati, sed verò crusta est, quæ ulcus ejusdem magnitudinis obtegit. Nocte adventante, calor et inquietudo ingravescunt, et delirium sæpè supervenit. Pulsus arteri-

arum, per totum morbi curriculum, celeres sunt; plerumque centies et vicies in primo horæ minuto. In nonnullis duri et parvi, in aliis molles et pleni, sed absque robore quod morbos inflammationem habentes concomitatur. Urina plerumque naturalis est, sed aliquando admodum rubra est, et parca, et cum magnâ difficultate reddita.

Sub initio morbi, diarrhœa aliquando in infantibus occurrit, et per aliquot dies perstat: In puberibus autem, et ætate provectioribus, alvus magnoperè constipata est. In nonnullis glandulæ maxillares intumescunt, et sæpè discutiuntur; sed aliquando in inflammationem subeunt, et in pus abeunt.

Rebus ita se habentibus, per paucos dies, ubi signorum alleviatio, faustum et citum morbi exitum monstrat, pulsus arteriarum, qui hactenus tam celer fuerit, nunc tardus fit; rubor cutis imminuitur, calor qui plurimùm auctus fuit, jam minuitur. Efflorescentia minùs conspicua fit; tota cutis sæpè reno-

vata est, et cuticula antiqua in squamas furfuri similes abiens, cadit. Omnia febris signa evanescunt; fauces detumescunt; escharæ decidunt; ulcuscula subjecta citò sanescunt; deglutitionis difficultas haud ampliùs molesta fit; pulsus ad statum sanitatis descendit, placidum somnum carpit æger; et satis coherens est, ubi a somno suscitatus, et redeunte cibi desiderio, brevi vires recuperat.

Hic morbus benignam formam suprà dictam in plurimis exemplis induit. Sed aliquando modo longè diverso aggreditur, et signa quæ primò mitia fuêre, subitò molestissima fiunt, et periculum maximum minantur. Fauces et glandulæ maxillares adeò intumescunt, ut ægroto strangulationem intendant, vel mortem ex impedito sanguinis reditu a capite. Partes internæ quoque magnoperè afficiuntur. In uvulâ et tonsillis, maculæ complures albidæ, seu cineritiæ, undique serpentes, conspiciuntur, humorem fœtidum effundentes, qui labia naresque rodit. Hic hu-

mor fœtidus aliquando in ventriculum et intestina descendit; interiorem eorum tunicam eodem quo fauces modo afficit. Hinc forsitan oriuntur languor, nausea, vomitus, et diarrhœa, quæ in nonnullis hujus morbi exemplis occurrunt. In infantibus aliquando sanies per totum canalis alimentarii tractum, vires suas noxias retinens, exulcerationem ani inducit. Hæmorrhagiæ narium, oris, faucium aliquando, sub hoc gravissimo stadio morbi accidunt, ægrumque subitò e vivis arripiunt. Aliquando autem, mors pede lentiore obrepit.

Lingua ferè apicem versus, aliquantulum madescit, a sordibus immunis: Cæterùm, crustâ nigrâ ad radicem obducitur.

Ingravescunt omnia signa: Sitis magis molesta fit; pulsus arteriarum celeres, parvi, debiles, abnormes, interdum vix sentiendi fiunt: spiritus fit magis difficilis et laboriosus: delirium magis molestum fit, et oculi debiles et suffusi fiunt. Efflorescentia minùs rubra fit;

partes extremæ frigescunt, urina et fæces inscio ægro redduntur. His accedit subsultus tendinum; ægerque his malis vexatus naturæ sese brevi concedit.

Morbus in multis exemplis adeò variat severitate, numero, et signorum formâ, ut omnium varietatum mentionem facere, multò magis rationem reddere, difficile sit; et certè non opus est, quoniam signa quæ plerumque sese ostendunt, et sub mite et graviore morbi formâ, enumeravi.

In quibusdam exemplis, nonnulli anginâ gravi, absque ullâ eruptione omninò, correpti sunt: dum in aliis, vivido rubore cutis fuit, faucibus vix ac ne vix quidem affectis. Hæc efflorescentia, ubi maxima fuit, non ægrum levare videbatur; nec ulla illi orta est injuria, hâc deflorescente et evanescente *.

Febre multùm imminutâ, parotides ali-

* Vide HEBERD. Comment.

quando autem maturescunt et in pus abeunt. Aliquando autem artus rheumaticis doloribus afficiuntur, et quod usitatissimè occurit, facultas ambulandi vel minuitur vel penitùs aboletur. Huic succedit non solùm anasarca, sed omnium corporis cavitatum hydrops, et præthereà capitis. In hoc morbo, præcipuè sub formâ mitiore, desiderium cibi nunquam ferè adeò minuitur ac in aliis febribus.

In hoc morbo, calor corporis multùm augetur; in plurimis exemplis mercurius in *thermometro Fahrenheitiano* ad gradum centesimum quintum vel centesimum sextum exsurgit; aliquando ad centesimum usque duodecimum, CURRIE auctore: sed GREGORIUS celeber. negat, in ullo morbo, vidisse corporis calorem ad gradum centesimum nonum provenire.

Haud facilè alius invenietur morbus, in quo delirium tam exigui momenti est, quàm in cynanche malignâ. In aliis febribus delirium rarò ægrum aggreditur, donec in maximo pe-

riculo est. In hoc morbo autem, ægri, aliquando vel ipso primo die, secundo vel tertio, delirant. In nonnullis exemplis intestinorum torpor aliquando occurrit, exemplum cujus præbuit puer tredecem annos natus, qui jalapæ octaginta grana sine levamine sumpserat; quod ad consortium, quod iis intercidit cum cerebro affecto, referri debet *.

Hic morbus æquè contagiosus est ac variolæ, præsertim inter impuberes et tenellos utriusque sexûs. Hoc morbo plures tentantur puellæ quàm pueri, mulieres quàm homines. Mulieres nullius ætatis ab hoc morbo sunt securæ, quanquam quò magis ætate provectæ sunt, eò minùs ad morbum opportunæ fiunt; et infirmos utriusque sexûs magis quàm robustos et vegetos, invadit. Sæpè observatur, ægros qui huic morbo subjecti sunt, eò graviùs periclitare quò juniores sunt, contrà ac sit in variolis et rubeolâ.

---

* Audi GREGOR. Prælect. de Med. Pract. in Acad. Edin.

Rarissimè fit ut aliquis huic morbo plùs quàm semel aggreditur: Sed GREGORIUS præclarus exempla tria videbat, in quibus eundem iterum invaserat: hæc autem rarissima sunt.

INSPECTIO CADAVERUM.

IN quibusdam mortuorum incisionibus, fauces inflammatæ, suppuratæ, et in gangrænam procedentes, inveniebantur: Velum pendulum palati crustis nigris coopertum fuit: Tonsillæ nigri coloris externè, et lividæ internè fuerunt: Uvula crustâ mucosâ obducta fuit, formam membranæ exhibente. Per totam œsophagi, ventriculi et intestinorum longitudinem, eadem phænomena sunt reperta. Membrana interiorem eorum partem obducens, multò crassior justo reperiebatur, et subrubrum colorem exhibens. Trachea quoque et

larynx inflammatæ, et materiâ viscidâ et fœtidâ coopertæ, inveniebantur. In nonnullis casibus, inflammatio ad pulmones ipsos sese extendit; glandulæ colli magnoperè tumescunt: In ventriculo et intestinis, humoris viscidi magna copia sæpè reperitur; et eædem notæ morbidæ, quæ, in febre typhode occurrunt, in aliis partibus corporis frequenter sese ostendunt.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Omnia quæ corporis humani vires debilitant, ut diæta parca, et parùm nutriens, evacuationes immodicæ, morbi prægressi, animi pathemata deprimentia, aër impurus, corporis exercitatio nimiùm protracta, et similia, homines Anginæ Malignæ, non secùs ac aliis morbis contagiosis, obnoxios reddunt. Ro-

busti autem et vegeti, huic morbo minimè opportuni sunt. Imbecilles magis quàm robusti; sexus muliebris quàm virilis; infantes potiùs quàm adulti, ad hunc morbum opportuni existimantur.

CAUSA EXCITANS.

Proculdubio ex contagione specificâ oritur; sed unde originem ducit, et qualis sit ejus natura, quantum ejus ad morbum in aliquo excitandum sit aptum, vel quare formam nunc gravem et lethalem, nunc lenem et innocuam assumat, prorsùs ferè ignoramus.

DE DIAGNOSI.

Hic morbus a quâlibet aliâ anginæ specie est adeò diversus, ut vix operæ pretium foret, signa quæ illi dignoscendo inserviunt, recensere. Duo duntaxat morbi (quantùm sciam) quibuscum periculum est, ne cynanchem malignam confundamus; scilicet, *Cynanche tonsillaris* et *Rubeola.*

A priore dignoscitur, pulsu, deglutitione parùm difficili, maculis cinereis et serpentibus, respiratione strepente, et febre typho; levi delirio citò superveniente, et symptomatum post evacuationes augmento.

Rubedo scarlatinæ non tam generalis est ac in *rubeolis;* nec adeò discretæ papu-

læ apparent, cuticulæ colore naturali interposito. In rubeola igitur eruptio magis eminens est; et digitis applicatis, asperitatem quandam manifestam præbet. Distinguitur quoque scarlatina ex rubeola, absentiâ tussis, sternutationis, et signorum aliorum catarrhalium, quæ rubeolam incipientem semper, sed cynanchen malignam rariùs, comitantur. Semper etiam eruptiones variant; nam primo et secundo die efflorescentia faciei et pectoris in scarlatina usitatissimè observatur. In rubeolâ contrà, non ante tertium diem circa mentum sese ostendit; nec ante quartum quintumve febris diem ad manus humerosve pervenit. Insuper cùm naturam epidemici grassantis consideramus, perfacilè erit alium ab alio dignoscere.

Signa quæ magis speciatim distinguunt hunc morbum a *cynanche tonsillare*, sunt; Virium magna prostratio, animus præter consuetudinem demissus, anxietas perpetua, oculorum languor et hebetudo. Plerumque quoque pulsus arteriarum, in hisce morbis val-

dè sunt dissimiles: In cynanche maligna debiles et parvi fiunt; in cynanche tonsillari validi sunt et duri; et ad signa levanda venæsectio semper prodest: sed in cynanche malignâ venæsectio, purgatio, et medicamenta antiphlogistica, (experientiâ teste), plerumque nocent. Denique, sedes morborum variat. In cynanche malignâ, inflammatio membranam oris et faucium mucosam occupat; dum partes glandulares cynanche tonsillaris potissimùm infestat.

DE PROGNOSI.

Fallacissima quàm maximè est hujus morbi natura. Morbus semper periculosior in infantibus quàm adultis. Ad prognosin formandam apprimè necessarium est, epidemici naturam spectare. Si vespere adven-

tante, signa notabiliter ingravescant, cum magna debilitate, pulsu intermittente, necnon spiritu fœtidè olente, et ulceribus gutturis lividis; et si glandulæ submaxillares totumque collum magnoperè tumescunt, et oculi sunt suffusi; si his hæmorrhagia, diarrhœa aut dyspnœa superveniant, comate, delirio, convulsionibus comitatæ; et prætereà si adsit singultus, vel alvus fæces liquidas, absque animi imperio, subitò excernat; mortem non longè abesse pro certo habeas.

Contrà autem, si ab ipso morbi initio, febris minùs urget, si eruptione prodeunte, lenior fit; si post sudorem lenem, facilemque, rubor cutis, calorque imminuitur, pulsus arteriarum fiat tardior, firmior et magis æqualis; tumor colli externus subsidat; crustæ faucibus inhærescentes, facilè decidant; ulcera pura, et ad imum coloris floridi videantur, promptèque sanescunt; ægrotus somno parùm turbido fruatur, et vigilans e delirio prorsùs immunis sit; appetentia cibi solidi redeat; respiratio libera mollisque evadat; vigor oculis

aciesque pristina, restituantur; et sudores, cum sputo copioso, cuticulaque decidua, modicè perstent; ægrotus ad sanitatem brevi reducetur.

DE CURATIONE.

Ubi hic morbus formam mitissimam induit, vix ullo indigit remedio: sed ubi alias assumit formas, varia remedia, secundum signa, quæ sese ostendunt, sunt utenda. Hujus morbi curatio ab omnibus aliis phlegmasiis magnoperè discrepat, nam proclivitati septicæ obviam ire necesse est.

Venæsectio in hoc morbo rarissimè convenit: exempla plurima narrantur in quibus, post sanguinis evacuationem, signa omnia graviora facta sunt. Nec desunt documenta dum flueret sanguis, ægros subitò è vivis præreptos esse.

Prodest nonnunquam sanguinis detractio in corporibus plethoricis et adultis; et præcipuè si dolor capitis cum magno delirio urgeat, et insuper si laboriosa sit respiratio, cum faucium magno tumore et inflammatione: hirudines partibus præcipuè affectis adhiberi possunt, quod multò efficacius est remedium, et minùs periculosum, quàm sanguinem e brachio mittere.

Quod ad *alvi purgationem* attinet: De hoc remedio dicere sufficiat, quod idem ratiocinium eædemque auctoritates, quæ sanguinem mitti tantoperè vetant, huic quoque evacuationi non minùs adversantur.

Quando diarrhœa adest, si a causâ irritante in canali alimentario sitâ, originem ducere videtur; *diluentibus* vel *laxantibus* mitissimis est amovenda.

Si alvus ægroto sit astricta, huic fructus recentes, enemata laxantia, subindè adhibita,

meliùs quàm medicamenta cathartica occurrent.

Emetica, in hoc morbo magnoperè sunt utilia, præsertim si intra horas duodecim ex invasione, administrantur, felicissimos effectus reddere probatur: Aliquando febrem radicitùs abscindendo, vel ejus violentiam insigniter minuendo, sæpè multùm prosunt. Aliquando ad ea recurrere non nobis opus est, nam vomitus suâ sponte supervenit: at si nausea sine vomitu adsit, emeticum mitius, et ventriculum deplendo, et diaphoresin movendo, prodesse potest.

Eorum usus per totum morbi decursum, a WITHERINGIO multùm laudatur: alii autem medici ex eorum usu tantum commodi non observârunt; et sanè ubi morbus adeò provectus est, vomitum inducere non modò irritum, sed magnoperè perniciosum est.

Epispastica, a quibusdam periculosa esse putantur: sed ab eorum utilitate in aliis mor-

bis, forsitan in cynanche malignâ utilia essent; præsertim ubi adeò urget tumor externus, vel internus, ut deglutitionem vel aëris aditum impediat, vel aliter periculum inferre minaretur, certè haud parvi momenti sunt; quanquam minimè tam utilia in cynanche malignâ, ac in cynanche inflammatoriâ, inveniuntur.

Quando symptomata magnæ debilitatis, simul cum proclivitate ad putredinem, vel sese ostendunt, vel advenire minantur; ad ægri vires sustentandas et proclivitatem putrescentem corrigendam, stimulantia et tonica sunt utenda. Ad hoc consilium, largis dosibus *vini* et *cinchonæ* utendum est, quantùm ventriculus ferre potest. Cortex in pulvere cæteris ejus præparationibus antiponendus, quoniam, sub aliis formis, a viribus medicamenti plùs minùsve detrahitur. Sed ubi non benè congruit stomacho, vel per os adhiberi non potest, sive ab ægro eum nauseante, sive faucium tumore, quod sæpè infantibus occurrit, in alvum ex inferioribus partibus injicere debeamus. Quando vinum comparare

non possumus, recurrere oportet nos, loco ejus, ad varia succedanea; qualia sunt, varii potus ex pomis, vel ex aliis fructibus parati, cerevisia, et alii liquores fermentati.

Gargarismata multùm laudantur, ad faucium et gutturis affectionem levandam. Ulceribus albis magis arrident gargarismata ex detergentibus, qualia vinum aquâ mixtum, tinctura myrrhæ, infusum rosæ Gallicæ, infusum corticis querci; forsitan, vaporis aquæ tepidæ inhalatio magni momenti foret.

Repetitâ gargarizatione, optimè separatur crusta alba ulceri adhærescens, quæ nunquam impunè avellitur; augetur enim inflammatio et dolor, insequiturque sæpè hæmorrhagia. Ad hæmorrhagiam impediendam, astringentibus et stypticis utendum est.

Fuit olim apud medicos opinio, scarificationes multùm ad ægri salutem conferre; eas, remedia periculosa esse, demonstrat Gregorius cel.

Per universum hujus morbi progressum, mundities maximâ curâ observanda; vestimenta sæpiùs mutanda, et excrementa omnigena quàm citissimè removenda, et puri aëris admissioni maxima cura habenda est.

Morbo finito, paucos intra dies plerumque subsequitur anasarca: Sponte abit, vel lenibus remediis, præsertim diaphoreticis et diureticis, plerumque facilè cedit: eodem consilio, balneum a nonnullis exhibetur, et cute hoc modo laxatâ, exhalatio libera per eam promovetur, et anasarca brevi tollitur.

Hæc sunt remedia quæ in Cynanche Maligna curandâ utilissima inventa sunt, et quæ a peritissimis medicis plerumque laudantur. Nova autem et valdè dissimilis hujus morbi curatio nuper proposita est; nempè, *usus aquæ frigidæ corpori admotæ.* Hæc simplex et efficax ratio medendi primò a Doctore Gerardo proposita fuit, et posteà experimentis Doctorum Gregorii et Curreii confirmata.

Lavatio frigida in multis exemplis adhibita fuit, quibus in omnibus, morbus vel sublatus est, vel progressus ejus multò mitior factus. Dum verò ex suprà dictis, tam strenuè in cynanche maligna aquæ affusionem laudo; observem oportet, ejus usum iisdem ordinandum regulis, quas proponit Doctor CURREIUS in typho.

In utroque morbo, idem commodum ex aqua frigida corpori adhibita sequitur; hâc autem differentia, quod refrigeratio inde orta non his idem durat tempus in cynanche malignâ, ac in typho; hinc necesse sit affusionem sæpè iterare.

In nonnullis exemplis, affusio subtepida sæpè in viginti quatuor horis exitu felicissimo iterata fuit. Hoc regimine, paucis diebus, fugit febris, et citò revaluit ægrotus. Usus aquæ frigidæ, præcipuè primo stadio, utilis esse videtur, calore tunc temporis plerumque aucto. Ex experientiâ nunc compertum est, frigidæ affusionem aquæ, regulis modò dictis

observatis, in omni stadio morbi applicari posse. Morbo progrediente autem, affusio forsan lavationi cedit, vel aqua tepefacienda est.

Aliud adhuc restat remedium, de quo pauca dicere volo, viz. *acidum muriaticum oxygenatum*, quod a nonnullis ad hunc morbum profligandum laudatur. Operatio ejus parùm intelligitur, et hanc obscuritatem removere non possum.

In quibusdam casibus, adhibitum vidi fausto eventu; sed morbus adeò fuit levis, ut vix dubitandum est, quin solis naturæ viribus ægri ad pristinam valetudinem restituerentur.

FINIS.